



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio II. De voluntario & involuntario.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

secam, peccatam à voluntate illam procurante, vel continuante, aut saltem non impediende, quantum potest, procurando scilicet, vel continuando, aut saltem non impediendo motum concupiscentialem, quocum naturali necessitate connexa est. Hæc igitur perceptio, quæ est carnalis delectatio, quandoque omnino involuntaria est, quandoque voluntaria. Est omnino involuntaria, quando voluntas omnino reluctatur actioni concupiscentiæ, & tunc non est peccatum: est voluntaria, quando voluntas, mediante organo sensus interni, procurat, vel continuat, aut saltem non impedit, quantum potest, actionem concupiscentiæ, & tunc peccatum est: tunc enim unum numero peccatum constituit cum actione concupiscentiæ & actu voluntatis.

Observa denique. Concupiscentia erumpente in actum suum, voluntas ipsa quandoque erumpit in actum indeliberatum, quandoque non erumpit. Quod sic explico. Actio sensus interni & actio intellectus sic inter se natura connexæ sunt, ut percipiente sensu interno, naturali necessitate intellectus intelligat, & vicissim intellectu intelligente sensus internus naturali necessitate percipiat. Supponamus ergo bonum aliquod sensibile, vel per se, vel per suum phantasma, ita ante omnem rationis advertentiam commovere organum internum, ut concupiscentia ad actum suum determinetur: tunc non solum fit immutatio in corpore, sed etiam sensus internus percipit commotionem factam in organo suo, & concomitanter intellectus naturali necessitate intelligit objectum, à quo facta est illa commotio. Intellectus autem sic objectum illud intelligens, vel repræsentat illud voluntati ut bonum tantum, vel partim ut bonum, partim ut malum, licet confusè & imperfectè. Si primum, voluntas erumpit in motum indeliberatum prosecutionis. Si secundum, voluntas hæret quasi suspensa inter actum prosecutionis & averfivum. Unde motus primò primi, hoc est, motus, qui anteverit ad exercitium libertatis prærequisitam rationis advertentiam, quandoque sunt solius concupiscentiæ, quandoque concupiscentiæ & voluntatis per talem objecti apprehensionem ad actum indeliberatum prædeterminatæ; sic tamen ut motus primò primus, qui est à voluntate, non sit causa motus primò primi, qui est à concupiscentia, nec vicissim, sed ambo sese merè concomitanter habeant. Itaque motus primò primus, qui est à concupiscentia, non est peccatum, quia non est voluntarius: nam nequidem mediata est à voluntate. Item motus primò primus, qui est à voluntate, non est peccatum, quia non est liber, sed voluntarius tantum.

DISPUTATIO II.

De voluntario & involuntario.

ARTICULUS I.

Quid sit voluntarium.

Resp. Voluntarium dicitur relatè ad voluntatem. Rectè igitur describitur, id quod fit aut quasi fit à voluntate operante ex prævia cognitione, intellectuali scilicet: cum enim voluntas sit facultas purè spiritualis, operari non potest, nisi ex prævia cognitione spirituali, ut jam observatum est. Hujus autem descriptionis bonitas patet ex eo, quod conveniat omni & soli voluntario. Duo itaque requiruntur ad voluntarium. Primum est, ut fiat aut quasi fiat à voluntate illius, qui operatur, & respectu cuius dicitur voluntarium. Secundum est, ut fiat vel quasi fiat ex cognitione prævia, ita ut is, qui operatur, cognoscat id, quod fit vel quasi fit, & dicitur voluntariè fieri vel quasi fieri. Sed

Observa. Tripliciter fieri potest aliquid à voluntate. 1. Ut actus elicitus. Hoc modo fiunt à voluntate

Simonnet Theol. Tom. I.

omnes ejus actus immediati, ut volitio, nolitio, amor, odium, &c. 2. Ut actus imperatus. Hoc modo fiunt à voluntate actus aliarum potentiarum ipsi subjectarum, quoties scilicet ex ejus imperio & applicatione operantur. Porro quia voluntas sibi ipsi per unum actum potest imperare alium, potest idem actus esse simul elicitus & imperatus. Est elicitus, quatenus fit immediatè à voluntate; est imperatus, quatenus fit à voluntate ad hunc actum applicata per alium suum actum. 3. Aliquid fit à voluntate, ut effectus secutus ex illius aliquo actu, vel elicitio, vel imperato. Hoc modo fit à voluntate homicidium v.g. quod sequitur ex percussione imperata à voluntate. Potest igitur aliquid esse voluntarium, vel quia immediatè producit à voluntate, vel quia ab ea imperatur, vel quia sequitur ex aliquo actu ab ea vel immediatè producto, vel imperato.

Observa 2. In descriptione voluntarii addimus hæc verba, aut quasi fit, propter omissiones puras liberas, quæ non sunt operationes, sed quasi operationes, quatenus sunt virtuale & interpretativum libertatis exercitium. Nam si possitis omnibus ad volendum & agendum prærequisitis, voluntas abstinere ab omni actu, tunc liberè non vult, liberè non agit, & perinde se habet in æstimatione prudenti, ac si positivè noller, positivè veller non agere, proindeque tunc virtualiter & interpretativè exercet libertatem suam, virtualiter & interpretativè volendo non agere. Supposita igitur possibilitate omissionis puræ liberæ, potest aliquid quasi fieri à voluntate tribus modis. 1. Ut ommissio actus eliciti. Sic ommissio actus charitatis est à voluntate non amante Deum in iis circumstantiis, in quibus habet omnia prærequisita ad eum amandum & purè ab actu amoris abstinere. 2. Ut ommissio actus imperati. Sic ommissio auditionis sacri est à voluntate non imperante omnia ad audiendum sacrum necessaria, sed ab omni prorsus actu cessante in iis circumstantiis, in quibus adsunt omnia prærequisita ad imperandum id omne, quod ad audiendum sacrum necessarium est. 3. Ut effectus secutus ex ommissione actus vel eliciti, vel imperati. Sic homicidium v.g. est à voluntate illius qui potuit illud impedire, & tamen non impedivit, non quia positivè noluit, sed præcisè quia non voluit illud impedire, & otiosus spectator adfuit, suspensus omni actu voluntatis suæ. Supposita igitur possibilitate omissionis puræ liberæ, potest aliquid voluntarium esse, non solum ut actus elicitus, sed etiam ut pura ommissio actus eliciti; non solum ut actus imperatus, sed etiam ut pura ommissio actus imperati; non solum ut effectus secutus ex actu vel elicitio vel imperato, sed etiam ut effectus secutus ex pura omissione actus vel eliciti vel imperati.

Observa 3. Denominatio voluntarii est extrinseca respectu actuum aliarum à voluntate potentiarum, eique subjectarum, & respectu effectuum, qui ex illis actibus à voluntate imperatis sequuntur. Nam in tantum actus illi cum effectibus, qui ex illis sequuntur, voluntarii sunt, in quantum potentia, à quibus immediatè producuntur, applicantur à voluntate operante cum cognitione. Quæ voluntatis applicatio est illis omnino extrinseca, & sine illa possunt cum suis effectibus esse quoad totum suum esse physicum & intrinsecum. At respectu actuum elicitorum voluntatis, voluntarii denominatio est intrinseca & essentialis. Nam actibus elicitis voluntatis intrinsecum & essentialiter est, ut immediatè emanent à voluntate; cum sint intrinsecè & essentialiter vitales tendentiæ principii per se tendentis, & se ipsum vitaliter exercentis circa objectum aliquod. Unde actus eliciti voluntatis, nequidem divinitus esse possunt, nisi à voluntate eliciantur. Aliud est de denominatione liberi, quæ extrinseca est, respectu omnium actuum tam elicitorum, quam imperatorum, & effectuum ex illis secutorum. Hæc enim denominatio est à voluntate, ut activè indifferente ad opposita, & quæ tali operante cum cognitione. At sublato hoc modo operandi, hoc est, voluntate sine indifferentia activa operante, adhuc possunt esse

esse non modò actus imperati aliarum potentiarum cum suis effectibus, sed etiam actus eliciti voluntatis: cum voluntas possit velle, nolle, amare, odifse, &c. ex antecedenti & intrinseca ad unum determinatione. Hinc

Observa 4. Omnes quidem actus liberi sunt voluntarii; omnes enim procedunt à voluntate ex prævia cognitione operante; procedunt, inquam, vel immediate, ut actus eliciti; vel mediate, ut actus imperati, qui fiunt à voluntate, mediante actu elicito; per quem imperantur. At non vice versa omnes actus voluntarii sunt liberi, quia non omnes actus, qui fiunt à voluntate, fiunt liberè; sed aliqui necessàrio procedunt, ut actus quo omnis homo rationis compos vult beatus esse. Hinc voluntarium & liberum non convertuntur, sed voluntarium latius patet, quàm liberum. Hoc non obstante, quod notandum est, voluntarium solet à Conciliis & Patribus usurpari pro libero, quia per voluntatem, à qua hoc vocabulum, voluntarium, derivatum est, intelligunt, non præcisè principium intrinsecum operans ex prævia cognitione intellectuali; sed principium intrinsecum, activè indifferens ad opposita, & quò tale operans ex prævia cognitione. Quomodo voluntas solet ab hominibus extra Scholas usurpari.

Observa denique. Voluntarium, secundum rigorem scholasticum, non solum differt à libero, sed etiam à naturali, spontaneo, & morali. Nam naturale est id, quod est à principio intrinseco sine cognitione, ut descensus lapidis. Spontaneum id est, quod est à principio intrinseco cum cognitione purè materiali, seu sensitiva, ut actus, quo canis cibum appetit. Morale est id, quod est subiectum laudis vel vituperii, qualis est omnis & solus actus liber. Omnis enim & solus actus liber à recta ratione vel approbatur, si bonus est, vel reprobat, si malus est, & difformis regulæ suæ. Hic tamen notandum, spontaneum quandoque sumi pro voluntario etiam libero.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit voluntarium.

1. **V**oluntarium aliud est necessarium, & aliud liberum. Necessarium est illud, quod fit à voluntate cum antecedenti intrinseca ad unum determinatione: liberum verò illud, quod fit à voluntate cum activa indifferentia ad opposita. 2. Voluntarium aliud est proximum, immediatum, elicatum, & aliud remotum, mediatum, imperatum. Quæ divisio sufficienter intelligitur ex dictis articulo I. 3. Voluntarium aliud est perfectum, & aliud imperfectum. Perfectum est illud, quod est à voluntate cum perfecta cognitione, hoc est, cum cognitione, qua rationes boni & mali non cognoscuntur sufficienter ad perfectum usum rationis & libertatis: imperfectum verò illud, quod est à voluntate cum imperfecta tantum cognitione, hoc est, cum cognitione, qua rationes boni & mali non cognoscuntur sufficienter ad perfectum usum rationis & libertatis: unde voluntarium imperfectum est illud, quod est à voluntate sine sufficienti usu rationis & libertatis: perfectum verò, quod est à voluntate cum sufficienti usu rationis & libertatis, ad hoc ut ad laudem vel vituperium, meritum vel demeritum imputetur, propter scilicet regulæ morum consentaneum est, vel dissentaneum.

4. Voluntarium aliud est voluntarium in se, & aliud voluntarium in alio. Voluntarium in se est non solum actus elicatus, sed etiam illud, ad quod directè & immediatè tendit actus elicatus. Voluntarium in alio est illud, quod in alio, ad quod actus elicatus directè & immediatè terminatur, virtualiter seu moraliter continetur, velut effectus in causa. Sic v. g. cum aliquis solius voluptatis causa nimium potat, & nimium potando se inebriat, a-

ctus elicatus, quo vult potare, & ipsa actio potandi sunt voluntaria in se; ebrietas verò, quæ ex nimia potatione sequitur, est tantum voluntaria in alio, nempe in ipsa potatione nimia; quia actus elicatus, seu voluntas potandi, non in ipsam ebrietatem directè & immediatè fertur, sed in actionem potandi, quacumque connexa est, & ex qua sequitur ebrietas.

Potè ut aliquid sit voluntarium in alio, requiritur, 1. Ut sit aliquo modo, saltem confusè, cognitum ut securum ex alio, quocumque connexionem habet, & in quod actus elicatus voluntatis directè & immediatè fertur; vel si nullo modo cognitum est ut securum ex alio, quocumque connexum est, & quod directè & immediatè intenditur à voluntate, nullo modo sit cognitum, propter ignorantiam, vel actualem inadvertentiam culpabilem; tunc enim perinde se habet in ordine ad imputabilitatem, ac si re ipsa actu cognosceretur. 2. Requiritur, ut aliquo modo causetur à voluntate; ut per se clarum est. Ad quod ulterius requiritur, ut sit per se connexum cum illo alio, quod directè & immediatè intendit voluntas, & exequitur vel per se, si est actus elicatus, vel per aliam potentiam sibi subiectam, si est actus imperatus. Est autem per se connexum cum illo alio, si ponitur in re hoc ipso, quod illud aliud ponitur. Hoc modo ver. gr. ebrietas cum nimia potatione connexa est. Quod si non per se, sed per accidens tantum connexum est cum illo alio, quod directè intendit voluntas, & vel per se, vel per potentiam sibi subiectam exequitur, ita ut non sequatur per se ex actione voluntatis, neque vi illius præcisè, sed propter alia adjuncta ponatur; ad hoc ut in illo alio voluntarium censeatur, requiritur insuper in voluntate specialis obligatio illud impediendi, & ad illud impediendum ab actione abstinendi. Sic v. gr. si quis cibum sumat, unde alius sumit occasionem scandalum, fumentum cibum alterius scandalum voluntarium est in sumptione cibi, si tenetur impedire scandalum alterius: quod si non tenetur impedire scandalum alterius, nullo modo illi voluntarium est: tunc enim in nullo sensu causa illius est, quia tunc in illud nec physice influunt, ut per se patet, nec moraliter; nam quando eventus aliquis sequitur tantum per accidens ex actione operantis, tunc non reducitur in operantem velut causam moraliter influentem, vel, quod idem est, tunc non perinde operanti imputatur in affirmatione prudenti, ac si esset causa illius physica, nisi operans teneatur illum impedire, & ad illum impediendum actionem suam omittit. Ex his

Collige obiter. 1. Eum, qui etiam solius voluptatis causa nimium potat, & nimium potando se inebriat, peccare graviter contra temperantiam, & ebrietatis reum esse, sive actu advertat se per potationem nimiam inebriandum, sive non advertat actu; quia potest & tenetur advertere, saltem se, nimium potando, ebrietatis periculum incurre. Unde sive actu advertat, sive non, ebrietas est illi sufficienter voluntaria in nimia potatione, ex qua per se sequitur; sufficienter, inquam, voluntaria, ad hoc ut illi imputetur. 2. Eum, qui sumit cibum, unde alter scandalizatur, peccare contra charitatem proximi, si sumat in iis circumstantiis, in quibus tenetur non sumere, ad impediendum scandalum proximi, sive actu advertat sumptionem cibi fore causam vel occasionem scandalum, sive non advertat, cum tamen, ut supponitur, versetur in iis circumstantiis, in quibus potest, & debet advertere. Tunc scandalum proximi sufficienter illi in sumptione cibi voluntarium est ad hoc, ut illi imputetur, & laxæ charitatis reus censeatur.

Voluntarium denique tam in se, quàm in alio, aliud est formale, aliud verò virtuale tantum, & interpretativum. Formale est illud, quod est à voluntate positivè volente & operante. Interpretativum & virtuale est illud, quod est à voluntate liberè non volente, & omittente agere, & ita virtualiter & interpretativè nolente agere. Sic v. gr. si quis liberè non velit audire, nec audiat sacrum, unde alii meritis scandalizantur, quod, ut supponitur, fore advertit, aut sal-

tem

rem potuit & debuit advertere; libera carentia actus positivi, quo vellet audire sacrum, & libera non auditio sacri, sunt illi virtualiter & interpretative voluntaria in se: scandalum verò ex illa non auditione secutum, & quod tenebatur impedire, est illi virtualiter & interpretative voluntarium in alio, nempe in libera non auditione sacri. Unde peccat non solum contra praeceptum Ecclesiae, sed etiam contra praeceptum charitatis.

ARTICULUS III.

Quid sit involuntarium, & quod duplex.

Resp. Involuntarium propriè est illud, quod est contra actualem inclinationem voluntatis, ita ut sit voluntati contrarium, & aliquo illius actu notum. Duplex est, nempe involuntarium simpliciter, & involuntarium secundum quid. Involuntarium simpliciter est illud, quod est contra inclinationem voluntatis, quantum est ex se, efficacem ad impediendum illud; ut motus concupiscentiae, qui voluntate nihil omnino conferente, sed toto affectu reluctantis, insurgit; ut mors, quae homini planè invito, & affectu, quantum potest, repugnanti inferitur. Involuntarium secundum quid est illud, quod ita displicet secundum aliquam considerationem, ut magis placeat, & efficaciter placeat secundum aliam; unde sic est aliquo actu inefficaci notum, ut simul sit volitum efficaciter, & acceptetur alio actu. Sic cum mercator metu naufragii projicit in mare merces suas, quas sibi servatas vellet, projectio illa est secundum quid involuntaria: displicet enim spectata secundum se, sed magis & efficaciter placet spectata ut necessaria ad vitandum naufragium; unde spectata sub hac consideratione, re ipsa acceptatur, & adhibetur ut medium ad hunc finem necessarium. Itaque involuntarium secundum quid non est tale, nisi cum addito diminvente, imò & destruyente rationem involuntarii: nam est absolute & simpliciter voluntarium, quia voluntas illud efficaciter vult & facit, meliusque diceretur voluntarium mixtum involuntario, quia voluntas efficaciter quidem vult & facit illud, sed cum aliqua repugnantia. Sed

Nota. Involuntarium solet vocitari violentum & coactum. Hæc tamen tria, violentum, coactum, & simpliciter involuntarium, exactè loquendo, differunt inter se. Nam violentum propriè est illud, quod est à principio extrinseco contra inclinationem patientis, carentis omni cognitione, ut ascensus lapidis. Unde violentum propriè opponitur soli naturali. Coactum propriè est illud, quod est à principio extrinseco contra inclinationem patientis, habentis solam cognitionem materiale, ut vapulatio canis: unde coactum propriè opponitur soli spontaneo. Denique involuntarium est illud, quod est contra inclinationem aliquam cognoscentis cognitione intellectuali. Jam verò vel est à principio extrinseco voluntati contra efficacem ejus inclinationem, & tunc est involuntarium simpliciter; vel est à principio intrinseco, seu ab ipsa voluntate, sed contra aliquam ejus inclinationem inefficacem, & tunc est involuntarium secundum quid. Sed ex dictis

Collige. 1. Actus tam elicitos, quam imperatos, posse esse involuntarios secundum quid: nam re ipsa voluntas sæpè vult & imperat actus aliarum potentiarum sibi subiectarum, cum aliqua repugnantia, & ita sæpè vult & imperat actus aliarum potentiarum sibi subiectarum, contra aliquam suam inclinationem, licet inefficacem. 2. Actus imperatos posse etiam esse involuntarios simpliciter. Nam actus illi possunt à potentiis suis exerceri, voluntate nihil omnino conferente, sed è contra toto suo affectu reluctantis, ut patet in motibus concupiscentiae, quæ voluntate omnino repugnante, potest ab objectis sensibilibus, mediante organo sensus interni, ad actus suos efficaciter determinari. 3. Actus verò

elicitos nunquam posse esse simpliciter involuntarios; quia, cum sint essentialiter vitales tendentiæ voluntatis per illos se ipsam activè perficientis & exercentis circa objectum aliquod, repugnat illos esse à principio voluntati extrinseco, putà à Deo, voluntate nullam vim activam conferente, & toto affectu, quantum potest, reluctantis. Voluntas igitur potest quidem cogi quoad actus imperatos, at non potest etiam à Deo quoad actus elicitos, licet possit ad illos necessitari, quia non repugnat eam ex ineluctabili & antecedenti determinatione intrinseca ad unum se ipsam per actus suos activè perficere, & vitaliter exercere circa objecta ab intellectu proposita.

ARTICULUS IV.

Utrum ea, quæ fiunt ex metu, voluntaria sint, an involuntaria.

Nota 1. Aliud est fieri aliquid ex metu, & aliud fieri cum metu. Aliquid fit ex metu, quando metus est causa illud faciendi, sicut cum mercator ad vitandum naufragium projicit merces suas in mare, projectio mercium fit ex metu naufragii, quia metus naufragii movet mercatorem ad projiciendas merces, & ita causa est projectionis mercium. Aliquid fit cum metu tantum, quando metus non causat actionem, qua illud fit, sed solum eam comitatur. Sic latro, cum furatur timens agit cum metu, non ex metu, quia non metus, sed habendi cupiditas movet eum ad furandum; unde non metus, sed habendi cupiditas causa est cur furetur. Per se autem clarum est, ea, quæ fiunt cum metu, voluntaria esse: unde questio proponitur tantum de iis, quæ fiunt ex metu.

Nota 2. Qui agit ex metu, potest duobus modis velle id, quod agit. 1. diminutè & imperfectè. 2. plenè & perfectè. Vult diminutè tantum, quamvis efficaciter, id quod agit, quando cum efficaci affectu agendi, vi cuius re ipsa agit, habet etiam alium affectum non agendi conditionatum & inefficacem, quo tamen sic actu affectus est, ut non ageret, si abesset causa metuendi. Sic mercator merces suas projiciens in mare ad vitandum naufragium, quod timet, vult tantum diminutè hanc mercium suarum projectionem: nam cum affectu efficaci projiciendi merces, habet alium affectum illas retinendi, qui quidem inefficax est propter instans periculum, sed, sublato illo, esset efficax, & affectui opposito prævaleret. Qui agit ex metu, vult non solum efficaciter, sed etiam plenè & perfectè id, quod agit, quando cum efficaci affectu agendi, nullum alium retinet affectum non agendi, vi cuius, sublato metu, non ageret. Sic poenitens, qui ex instinctu Spiritus sancti, ad vitandam gehennam, quam metuit, dolet de peccatis, eaque detestatur, & proponit non peccare de cætero, non solum efficaciter, sed etiam plenè & perfectè vult vitare in posterum omnia mortalia; quia tunc cum efficaci affectu non peccandi propter gehennæ periculum, quod peccando incurritur, non habet alium affectum, vi cuius, sublato gehennæ periculo, peccare vellet, & peccaret. Ad hoc

Nota 3. Quod fit ex metu, quandoque sic fit cum affectu ad oppositum, quandoque non fit. Ratio est, quia efficax affectus, vi cuius aliquid fit ex metu, quandoque compatitur affectum inefficacem non agendi, quandoque non compatitur. Compatitur, quando malum, quod timetur, vitari potest, etiam retento affectu inefficaci non faciendi id, quod fit ad vitandum malum: non compatitur, quando malum, quod timetur, non potest vitari, nisi deposito tali affectu. Sic mercator, qui projicit merces suas in mare ad vitandum naufragium, quod timet, retinet affectum inefficacem non projiciendi merces; quia naufragium, quod timet, & efficaciter intendit vitare, etiam retento illo affectu inefficaci vitari potest, & ita affectus ille inefficax stare potest cum efficaci affectu vitandi naufragium, & ad hunc finem projiciendi,

ciendi merces in mare. At pœnitens, qui cum auxilio interioris gratiæ dolet de peccatis, eaque derelictatur, & proponit non peccare de cætero ex affectu efficaci vitandi gehennam, quam timet; nec habet, nec habere potest affectum etiam inefficacem tantum & conditionatum peccandi; quia gehenna, quam timet, & efficaciter intendit hic & nunc vitare, vitari non potest, nisi abjecto omni omnino affectu ad peccatum, etiam inefficaci & conditionato tantum; cum talis affectus sit peccatum, & inducat reatum gehennæ. Unde affectus peccandi, etiam inefficax & conditionatus tantum, flare non potest cum efficaci affectu hic & nunc vitandi gehennam, & ad hunc finem non peccandi de cætero. Malè ergo supponunt aliqui, nihil fieri ex metu, nisi cum aliquo affectu ad oppositum.

RESPONSIO I.

Ea, quæ sunt ex metu, sunt absolute & simpliciter voluntaria.

Prob. Illud est voluntarium, quod est à voluntate agente ex cognitione perfecta. Atqui quod fit ex metu, fit à voluntate agente ex cognitione perfecta. Unde quod malè fit ex metu, peccatum est. Ergo, &c.

Obj. Contractus, qui sunt ex metu, non sunt voluntarii. Ergo, &c. *Neg. ant. Probabis.* Si essent voluntarii, obligarent. Atqui non obligant. Ergo, &c. *R. dist. min.* Non obligant, spectato solo jure naturali, *Neg. min.* Non obligant, spectato jure positivo, transeat min. Dico, transeat: nam hoc indiget explicatione, pro qua hæc accipe. 1. Si quis contrahit ex metu levi, contractus tenet non solum jure naturali, sed etiam positivo. 2. Si quis contrahit ex metu gravi, vel, ut alii loquuntur, ex metu cadente in constantem virum; vel metus iuste incussus est, vel iniuste. Si primum, contractus validus est omni jure. Si secundum, vel est talis naturæ, ut, si statim teneat, non possit postea irritari, & tunc statim irritus est jure humano, ut patet in matrimonio, quod ab initio invalidum est jure Ecclesiastico, si contrahatur ex metu gravi iniuste incusso. Vel contractus est talis naturæ, ut etiam, postquam validus fuit, possit irritari, & tunc statim valet etiam jure positivo, sed irritari potest autoritate saltem publica, & is, in cujus favorem factus est, tenetur illum rescindere. Ex his autem apparet, contractum, etiam ex metu gravi factum, voluntarium esse.

RESPONSIO II.

Ea, quæ sunt ex metu, aliquando sunt involuntaria secundum quid, aliquando non sunt.

Prob. Nam ea, quæ sunt ex metu, aliquando fiunt cum aliqua repugnantia, aliquando non. Quando fiunt cum repugnantia, sunt involuntaria secundum quid: quando verò fiunt absque omni repugnantia, nullo modo sunt involuntaria. Ergo, &c. *Prob. maj.* Quia quæ sunt ex metu, aliquando fiunt cum affectu inefficaci ad oppositum, aliquando non, & ita aliquando fiunt contra aliquem affectum voluntatis, aliquando non.

ARTICULUS V.

Utrum ea, quæ sunt ex concupiscentia, sint voluntaria, an non.

Nota. Concupiscentia sumitur tribus modis. 1. Pro appetitu materiali, ut est principium passionum, seu immutationum illarum, quæ fiunt in corpore, & quibus voluntas sollicitatur ad prosecutionem boni sensibilis. 2. Pro rebellionē habituali, quæ vulgò fomes peccati nuncupatur, hoc est, pro funesta illa habilitate, demeritorie orta ex peccato originali, quam habet appetitus materialis ad erumpendum in motus illos, quibus voluntas pellicitur ad prosecutionem bonum sensibile, contra præscriptum rationis. 3. Pro quolibet motu appetitus materialis in bonum sensibile, hoc est, pro quolibet immutatione,

facta in corpore ab appetitu materiali, quæ voluntas ad boni sensibilis prosecutionem sollicitatur. Hæc concupiscentiæ acceptio est hujus loci. Concupiscentia autem sic sumpta, alia est antecedens, alia consequens. Consequens dicitur ea, quæ imperatur à voluntate; antecedens verò, quæ non imperatur, sed ab objecto sensibili, mediante organo sensus interni, excitatur, voluntate nihil planè ad id conferente. Quod autem de concupiscentia antecedente dicemus, à fortiori dicendum erit de consequente.

RESPONSIO I.

Quæ sunt ex concupiscentia etiam antecedente, voluntaria sunt.

Prob. Nam illud voluntarium est, quod fit à voluntate ex prævia cognitione. Atqui quod fit ex concupiscentia antecedente, fit à voluntate ex prævia cognitione. Ergo, &c. Præterea, si concupiscentia antecedens impedit voluntarium, vel quia impedit voluntatem ne velit, vel quia impedit intellectum ne intelligat. Neutrum dici potest. Non primum. Nam è contra concupiscentia antecedens inclinat voluntatem ad volendum. Non secundum. Nam è contra concupiscentia antecedens non potest esse sine actione intellectus, quod sic ostendo. Concupiscentia antecedens non potest esse sine commotione organi sensus interni. Commotio organi sensus interni non potest esse sine actione sensus interni commotionem illam percipientis. Actio sensus interni percipientis commotionem illam, non potest esse sine actione intellectus apprehendentis bonum sensibile, à quo est illa commotio, illudque quæ bonum sensibile voluntati proponitur. Ergo à primo ad ultimum, &c.

RESPONSIO II.

Ea, quæ sunt ex concupiscentia antecedente, nullo modo sunt involuntaria.

Prob. Nam illud dicitur esse aliquo modo involuntarium, quod fit cum aliquo affectu, inefficaci scilicet & conditionato, ad oppositum. Atqui quod fit ex concupiscentia etiam antecedente, nunquam fit cum tali affectu ad oppositum. Voluntas enim consentiens concupiscentiæ antecedenti, deponit omnem affectum ad oppositum. Ut enim ait S. Thomas 1. 2. q. 6. a. 7. ad 2. *In eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, sicut est incontinens, non manet prior voluntas, quæ repudiabat illud quod concupiscitur: sed mutatur ad volendum id, quod prius repudiabat. Unde incontinens agit quidem contra id quod proponebat: non autem contra quod nunc vult. Sed timidus regulariter agit contra id quod etiam nunc secundum se vult, licet inefficaciter.* Unde quæ sunt ex metu, sunt involuntaria secundum quid, ut probatum est supra.

RESPONSIO III.

Concupiscentia etiam antecedens non minuit voluntarium.

Prob. Si concupiscentia minuit involuntarium, vel minuit ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis. 1. Non minuit ex parte voluntatis. Nam illud non minuit voluntarium ex parte voluntatis, quod inclinat voluntatem ad volendum. Atqui hoc præstat concupiscentia antecedens. Unde fit ut voluntas agens ex concupiscentia, ardentius feratur in bonum sensibile. Ergo, &c. 2. Non minuit ex parte intellectus. Nam concupiscentia non est sine notabili commotione organi sensus interni. Atqui notabilis illa commotio non est sine clara perceptione sensus interni, nec clara perceptio sensus interni sine clara apprehensione intellectus. Ergo cum voluntas agit ex concupiscentia, agit cum clara apprehensione intellectus, & consequenter cum clara propositione objecti, ut boni sensibilis. Ergo, &c.

Imò verò concupiscentia antecedens auget voluntarium. Nam quod fit ex concupiscentia antecedente, fit cum majori inclinatione voluntatis, & ex clariore apprehensione & propositione objecti, saltem ut

ut boni sensibilis. Præterea, crescente concupiscentia, crescit voluntarium. Nam crescente concupiscentia, 1. intenditur inclinatio voluntatis: quod enim voluntas agit ex maiori concupiscentia, eo ardentius fertur in bonum sensibile. 2. Intenditur apprehensio objecti; nam non crescit concupiscentia, nisi quia crescit commotio organi sensus interni. Sed quod maior est commotio organi sensus interni, eo clarior est sensus interni perceptio; & quod clarior est sensus interni perceptio, eo clarior est apprehensio objecti, à quo causata est commotio in organo interno. Ergo ubi maior est concupiscentia, ibi clarior est apprehensio objecti. Ergo crescente concupiscentia, intenditur apprehensio objecti, & propositio illius, saltem ut boni sensibilis.

Dices. Concupiscentia antecedens minuit liberum. Ergo minuit etiam voluntarium. *R. i.* neg. conseq. Nam voluntarium hic strictè sumitur. Voluntarium autem strictè sumptum non convertitur cum libero, & potest esse necessarium, ut patet in visione beatifica. *R. 2. ad ant.* concupiscentiam antecedentem re ipsa quandoque minuere liberum, imò & quandoque omnino tollere. Tollit omnino, quando adeo vehemens est, ut totaliter auferat usum rationis, ita ut ratio non possit considerare & expendere rationes boni & mali. Unde cum non sit volita, totaliter excusat peccatum. Quando autem non est adeo vehemens, tantum minuit liberum, non solum tollendo æquilibrium, sed etiam perstringendo mentem, ut ita loquar, per intensiorem objecti sensibilis perceptionem, quæcum conjuncta est, ejusque attentionem veluti exhauriendo per notabilem affectionem, quam causat in corpore. Unde fit, ut intellectus impediatur à debita consideratione finis, & eorum, quæ sunt ad finem, imò & fortasse ab omni advertentia actuali ad turpitudinem & malitiam objecti. Quare voluntas, cum agit ex concupiscentia antecedente, quandiu scilicet non totaliter auferat usum rationis, minus peccat, quia peccat cum minori libertate: peccat tamen, quia potest & debet considerare finem, & ea quæ sunt ad finem, potest & debet actu advertere ad turpitudinem objecti. Sed de his adhuc aliàs.

ARTICULUS VI.

Utrum ea, quæ sunt ex ignorantia, voluntaria sint, an involuntaria.

Nota 1. Ignorantia alia est effectus voluntatis, alia non. Ignorantia, quæ non est effectus voluntatis, & quæ proinde nullo modo voluntaria est, vel est eorum, quæ sciri non possunt, adhibita morali diligentia, & dicitur ignorantia invincibilis: vel est eorum, quæ sciri possunt, sed non debent; & dicitur ignorantia probabilis. Jam verò hæc ignorantia, sive invincibilis, sive probabilis, vel est causa actionis, removendo scilicet prohibens, hoc est removendo scientiam, quæ si haberetur, non fieret actio, & tunc dicitur ignorantia simpliciter antecedens: ut si quis post adhibitam sufficientem diligentiam, emittat sagittam, & occidat transeuntem amicum; vel non est causa actionis, quia nimirum, etsi adesset scientia, adhuc fieret actio, & tunc vocatur ignorantia comitans: ut cum quis post adhibitam sufficientem diligentiam, emittit sagittam, & occidit transeuntem inimicum, quem efficaciter proposuerat interficere.

Nota 2. Ignorantia, quæ est effectus voluntatis, & quæ proinde voluntaria est, quia sequitur ex aliquo voluntatis actu aut quasi actu, unde ignorantia consequens dicitur, est eorum, quæ sciri possunt & debent. Alia est directè formaliter volita, alia indirectè & virtualiter tantum. Prima vocatur affectata: ut cum quis expressè non vult scire, ut liberius peccet. Secunda vocatur non affectata: ut cum quis simpliciter omittit, seu negligit scire. Hæc subdividitur in crassam seu supinam, & non crassam. Crassa est, cum aut nulla adhibetur diligentia ad

sciendum, aut non nisi pro rei gravitate valde exigua adhibetur. Non crassa est, cum ad sciendum adhibetur quidem aliqua diligentia, sed non adhibetur sufficiens. Jam verò ignorantia consequens vel est causa actionis, vel non. Si primum, dicitur etiam ignorantia antecedens secundum quid. Si secundum, vocari etiam potest ignorantia secundum quid comitans. His præsuppositis, sit

RESPONSIO I.

Quod sit ex ignorantia qualibet, est habitu involuntarium simpliciter, etiam quoad substantiam.

Prob. Illud dicitur habitu involuntarium simpliciter, quod est contra habitualement inclinationem voluntatis efficacem. Atqui actio, quæ fit ex ignorantia, sive hæc ignorantia sit effectus voluntatis, sive non sit, est etiam secundum substantiam contra habitualement inclinationem voluntatis efficacem: nam hoc ipso, quod supponitur fieri ex aliqua ignorantia, & ita esse alicujus ignorantie effectus, sequitur, quod non fieret, si non esset illa ignorantia. Ergo, &c. In hoc igitur pares sunt ignorantia simpliciter antecedens, & ignorantia consequens, seu antecedens secundum quid tantum, quod faciant habitu involuntarium simpliciter, etiam quoad substantiam. Aliud est de ignorantia comitante, sive sit simpliciter, sive sit secundum quid tantum comitans. Nam quod tantum sit cum ignorantia hoc est, actio, quam non causat, sed solum comitatur ignorantia, adhuc fieret, sublata ignorantia. Unde nulla ignorantia comitans facit etiam involuntarium habitu tantum.

RESPONSIO II.

Actio, quæ fit ex ignorantia simpliciter antecedente, hoc est, ex ignorantia, quæ non est effectus voluntatis, sic actu voluntaria est secundum substantiam, ut nullo modo sit voluntaria secundum circumstantias ignoratas, seu secundum circumstantias, ex quarum ignorantia fit.

Prob. 1. Hæc actio est actu voluntaria secundum substantiam. Nam cum sit actus vel elicited, vel imperatus voluntatis, quæ sine prævia aliqua cognitione agere non potest, non est à voluntate, nisi ex prævia aliqua cognitione. 2. Nullo modo voluntaria est secundum circumstantias ignoratas: nam circumstantiæ illæ nullo modo sunt volitæ. 1. enim non sunt volitæ in se, cum ignorentur. 2. Non sunt volitæ in alio, quia si sunt volitæ in alio, certè in ignorantia, ex qua fit actio. Atqui hoc dici non potest. Nam aliquid non potest esse volitum in alio, nisi illud aliud volitum sit. Sed ignorantia, de qua agitur, & ex qua fit actio, nullo modo volita est; alioquin esset effectus voluntatis: quod est contra suppositionem. Ergo, &c. Itaque si quis, adhibita sufficienti diligentia, emittat sagittam, & occidat amicum transeuntem, emissio sagittæ est quidem actu voluntaria quoad substantiam, at nullo modo voluntaria est quoad circumstantiam occisionis hominis; cum hæc circumstantia nec in se, nec in alio voluntaria sit. Unde emissio sagittæ nullatenus imputari potest quoad hanc circumstantiam; neque qui sagittam emisit, censeri potest reus homicidii.

Porro idem planè dicendum est de actione, quæ fit cum ignorantia simpliciter comitante, hoc est, de actione, quæ fit cum ignorantia, quæ non est effectus voluntatis. Nam hæc actio ita actu voluntaria est secundum substantiam, ut nullo modo voluntaria sit secundum circumstantias ignoratas; quia hæc circumstantiæ nec in se, nec in alio volitæ sunt. Itaque si quis, adhibita sufficienti diligentia, sagittam emittat versùs locum, quæ solent homines transire, & occidat inimicum, quem statuerat occidere, emissio sagittæ ita est actu voluntaria secundum substantiam, ut nullo modo voluntaria sit secundum circumstantiam occisionis inimici, quia hæc circumstantia nec in se, nec in ignorantia, quacum sit, voluntaria

caria est; unde emissio sagittæ nullo modo imputari potest quoad hanc circumstantiam; neque, qui sagittam emisit, censeri potest reus homicidii; licet ita sit habitualiter affectus, ut illud, sublata ignorantia, admitteret. Quod non faceret is, qui agit ex ignorantia, & emittit sagittam in talem locum, quia ignorat illac amicum transire.

RESPONSIO III.

Actio, quæ sit ex ignorantia consequente, hoc est, ex ignorantia quæ est effectus voluntatis, & quæ proinde dici non potest nisi secundum quid antecedens, est actu voluntaria in se quoad substantiam, & actu voluntaria quoad circumstantias ignoratas, non in se, sed in alio.

Prob. Et i. quidem quoddam actu sit voluntaria in se quoad substantiam, non habet difficultatem: omnis enim actus sive elicitus, sive imperatus voluntatis, est actu voluntarius in se, saltem quoad substantiam. 2. Quoad circumstantias ignoratas non est voluntaria in se. Nam illud nec est, nec potest esse voluntarium in se, quod non est actu cognitum; & consequenter circumstantiæ, quæ actu ignorantur, nec sunt, nec possunt esse voluntariæ in se. 3. Quoad circumstantias illas est voluntaria in alio, nempe vel in formali & expressa voluntate non sciendi, si ignorantia est affectata, vel saltem in sciendi negligentia, si ignorantia non est affectata.

Fortasse expeditius diceretur actionem, factam ex ignorantia consequente, in se voluntariam esse non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias ignoratas, formaliter quidem & physice quoad substantiam, quatenus ipsa sit ex actuali cognitione prævia; quoad circumstantias vero ignoratas æquivalenter & moraliter, quatenus circumstantiæ culpabiliter ignoratæ, perinde se habent in æstimatione prudenti in ordine ad imputabilitatem, licet quandoque non tantam, ac si essent actu cognitæ, & ita formaliter & physice in se voluntariæ. Itaque si quis, non adhibita sufficienti diligentia, emittat sagittam in locum, quæ solent homines transire, & occidat amicum transeuntem, emissio sagittæ est actu voluntaria non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantiam occisionis ignoratam; in se quidem quoad substantiam, & in alio quoad circumstantiam occisionis: vel, si vis, quoad utrumque voluntaria est in se; formaliter quidem & physice quoad substantiam, æquivalenter vero & moraliter quoad circumstantiam occisionis. Unde qui sagittam emisit, reus est homicidii.

Idem à fortiori dicendum est de actione, quæ sit, non ex, sed cum ignorantia consequente, & quæ proinde non solum habitu, sed etiam actu voluntaria est quoad circumstantias ignoratas vel saltem in alio, vel etiam in se æquivalenter & moraliter. Hinc, si si quis, non adhibita sufficienti diligentia, emittat sagittam in locum, quæ solent homines transire, & occidat inimicum transeuntem, quem quærit ad necem, reus est homicidii, quia circumstantia occisionis est illi non solum habitu, sed etiam actu voluntaria; vel in alio, quatenus aut non vult, aut negligit scire; vel etiam in se æquivalenter & moraliter, quatenus qui culpabiliter ignorat, perinde se habet in æstimatione prudenti, ac si actu sciret, & morali iudicio censetur actu scire, proindeque quod facit ex, aut cum ignorantia culpabili, morali iudicio & prudenti æstimatione censetur illud facere ex, aut cum actuali scientia.

Quæritur, quid sentiendum sit de actione, quæ sit ex actuali inadvertentia malitiæ, quam operans habitualiter novit. *R.* actionem illam esse voluntariam in se quoad substantiam, & quoad circumstantiam malitiæ habitualiter notam, sed actu inconsideratam, quia operans aut non vult, aut negligit considerare; voluntariam in alio, nempe in ipsa inadvertentia, directe vel saltem indirecte volita: vel, si vis, actionem illam in se voluntariam esse & quoad substantiam & quoad circumstantiam malitiæ; formaliter

quidem & physice quoad substantiam, quæ actu cognoscitur; æquivalenter vero & moraliter quoad circumstantiam malitiæ, quæ non actu advertitur, quatenus qui non actu advertit, cum potest & debet advertere (potest autem & debet, qui habitualiter novit,) perinde se habet in æstimatione prudenti in ordine ad imputabilitatem malitiæ actionis, ac si operaretur cum actuali advertentia illius; seu, quod idem est, qui non advertit, cum potest & debet advertere, morali iudicio censetur advertere, & operari cum advertentia. Hinc qui deliberatè ponit actionem aliquam malam, nisi invincibiliter aut probabiliter ignoret malitiam illius, peccat, etiamsi non advertat actionem esse malam, imò etiamsi fortè actu iudicet esse bonam.

DISPUTATIO III.

De libero & necessario.

ARTICULUS I.

Quid sit liberum arbitrium, ad quam facultatem pertineat, & an detur etiam in homine lapso.

RESPONSIO I.

Liberum arbitrium rectè describitur, potestas libera ex iis, quæ ad finem aliquem conducunt, unum præ alio eligendi, aut unum & idem acceptandi vel respuendi, soli naturæ intelligenti conveniens.

Ita ferè Bellarminus noster lib. 3. de gratia & lib. arbitrio c. 3. Hæc autem definitio bona est, quia omni & soli convenit, & explicatur cum eodem. 1. Igitur liberum arbitrium dicitur potestas, & per hoc distinguitur ab omni actu & habitu sive naturali sive acquisito. Dicitur 2. potestas libera, libertate scilicet indifferentiæ: nam, ut probabitur, ad liberum arbitrium requiritur libertas non solum à coactione, sed etiam à simplici necessitate. Dicitur 3. ex iis; qua voce significatur objectum liberi arbitrii. Additur autem, quæ ad finem aliquem conducunt; quia liberum arbitrium non versatur circa finem, sed circa media: actus enim liberi arbitrii supponit deliberationem. At deliberatio non est de fine, sed de mediis, quæ sunt ad finem. Hoc igitur discrimen inter voluntatem & liberum arbitrium, quæ, ut infra ostendetur, sunt una & eadem realiter potentia; hoc, inquam, interest discrimen, quoddam appetendi potentia voluntas dicitur, quatenus respicit finem; & liberum arbitrium, quatenus respicit media, quæ assumuntur propter finem: sicut eadem intelligendi potentia dicitur intellectus, quatenus respicit prima principia; & ratio, quatenus respicit conclusiones, quæ deducuntur ex primis principis. Dicitur 4. unum præ alio eligendi, aut unum & idem acceptandi, vel respuendi. Quibus verbis significatur actus proprius liberi arbitrii, nempe electio, quæ duobus modis fieri potest, vel unum ex duobus aut etiam pluribus mediis propositis optando, vel uno tantum medio proposito, illud assumendo, vel rejiciendo. Dicitur denique, soli naturæ intelligenti conveniens, & per hæc verba exprimitur subiectum liberi arbitrii. Omnes enim & solæ naturæ intelligentes, Deus scilicet, Angeli & homines, sunt capaces liberi arbitrii.

RESPONSIO II.

Liberum arbitrium solius est voluntatis.

Prob. 1. Liberum arbitrium est voluntatis. Nam liberum arbitrium pertinet ad illam facultatem, cuius est eligere: cum actus liberi arbitrii sit electio. Atqui voluntatis est eligere: nam eligere est velle; cum eligere sit velle unum præ alio, aut unum & idem potius velle, quam nolle. Ergo, &c. 2. Liberum arbitrium solius est voluntatis. Nam si est alterius facultatis, certè intellectus. Atqui hoc dici non potest.